

inquit Dominus, 'ad bellum contra hostes tuos et videris equitatum et currus et maiorem, quam tu habes, adversarii exercitus multitudinem, non timebis eos, quia Dominus Deus tuus tecum est'.¹ Et ne forte alicuius^a in exercitu cor minus rectum sit cum Deo, qui exturbare^b possit alios, et de hoc ordinat Dominus et dicit: 'Adpropinquante autem iam proelio duces quoque per singulas turmas audiente exercitu proclamabunt: Si quis formidolosus est et corde pavido, vadat et revertatur in domum suam, ne pavere faciat corda fratrum suorum, sicut ipse timore perterritus est'.² Bellum necessitas faciet, ut sopita discordia pax recuperari possit. Hoc ergo studio regi proelium gerendum est. Rex adpropinquante proelio exercitui suo verba lude ad medium deducere iubet, quibus ait: 'Non³ concupiscatis spolia, quia bellum contra nos est'.⁴

Cap. XXIII. In⁵ boni rectoris pectore si est virga districti-
onis, sit et manna dulcedinis. Hinc David ait: 'Virga tua et baculus tuus, ipsa me consolata sunt.' Virga enim percutimur et baculo sustentamur. Si ergo est districtio virgae, quae feriat, sit et consolatio baculi, quae sustentet. Sit itaque amor, sed non emolliens, sit vigor, sed non exasperans, sit zelus, sed non immoderate sevens, sit pietas, sed non plus quam^e expediat parcens. Intueri libet in Moysi^d pectore misericordiam cum severitate sociatam. Videamus amantem pie et districte sevientem. Certe cum Israheliticus populus ante Dei oculos poene inveniabilem contraxisset offensam, ita ut eius rector audiret: 'Descende, peccavit populus tuus', ac si ei divina vox diceret: 'Qui in tali peccato lapsus est, iam meus non est', atque subiungeret: 'Dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos et deleam eos faciamque te in gentem magnam', ille semel et iterum pro populo, cui preerat, obicem se ad impetum^e Dei irascentis opponens ait: 'Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti.' Pensemus ergo, quibus visceribus eundem populum amavit, pro cuius vita de libro vite delere se petiit. Sed tamen iste, qui tanto eius populi amore constringitur, contra eius culpas pensemus, quanto eius zelo rectitudinis accendatur. Mox enim petitione prima culpe veniam, ne deleantur, obtinuit, ad eundem

^a) alicuius *Hs.* ^b) exturbari *Hs.* ^c) *fehlt Hs.* ^d) Moyse *Hs.*
^e) impetu *Hs.*

¹) *Deut. 20, 1.* ²) *Deut. 20, 2—8 (gekürzt).* ³) *1. Macc. 4, 17.*
⁴) *Vgl. Hincmar cap. 8.* ⁵) *Gregor, Moral. XX 5, Migne 76, 144—145.*